



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

cujus verba proferre necesse est, ut constet regiae & sacerdotalis auctoritatis consensionem maximam semper fuisse; ita ut non tantum nudum ministerium, velut appari- tores, exequenda Conciliorum sententiae Principes praestiterint, sed jure etiam regio ad eandem damnationem post synodorum judicium suffragium suum adjunxerint ratione habita executionis publicae, quae pro- scriptionem illam sequebatur. *Rem non in- solitam Imperio & nos facientes, ad presentem venimus legem. Quoties enim Sacerdotum sen- tentia quosdam indignos sacerdotio de sacris se- dibus deposuit, quemadmodum Nestorium, En- tychem, Arrium, Macedonium, & Eunomium, & quosdam non minores alios, toties Imperium ejusdem sententiae & ordinationis cum Sacerdo- tum auctoritate fuit. Sicque divina pariter & humana concurrentia, unam consonantiam rectis sententiis fecere. Quare & ipse sententiam adversus Anthimum Iaram uxelan fecit, ut ipse loquitur, id est, quemadmodum explicat capite tertio, hoc firmiter ponit, & imperialibus legibus corroborat, ac si ab Imperio ipso provenisset. Deinde Menae Patriarchae dat in mandatis ut ad Metropolitans suae Dioceseos mittat quae Sacerdotio visa sunt, & ab Imperio confirmata, ταυτε τη δεχερωσμηνη δεζαντα, ταυτε υπο της βασιλειας νεκουρωθηνα.*

XIII. More veterum Principum, Con- stantinus Pogonatus definitionem sextae Synodi adversus Monothelitas suo Edicto se confirmasse ad Leonem II. Pontificem scripsit. Quod adeo gratum fuit Leoni, ut in haec verba Constantino gratulabundus rescripserit. *Synodali igitur sententia, & Imperialis Edicti censura, tanquam ancipiti spi- ritus gladio, cum priscis haeresibus etiam nove pravitate error expunctus est.*

Synodus Orientalium Episcoporum à Iu- stiniano Rhinormeto coacta in Trullo Pala- tij, sub nomine sextae Synodi canones edi- dit: quorum confirmationem ut impetraret à Principe, eadem verba usurpavit, quibus usa fuerat Synodus Oecumenica secunda erga Theodosium. Constantinus & Irene relecta coram se fidei definitione à septima Synodo edita, eam subscriptione sua muni- verunt, postquam illis constat de consen- su omnium decretam fuisse. Eodem pacto (postquam praesente Basilio Imperatore, relectis canonibus ab octava Synodo editis, fidei Symbolo, & Photij depositione, con- sensum suum Episcopi testati sunt) *Allocu- tione sua Basilius edixit, ut si quis Clericus aut laicus contra synodi canones aliquid ha- beret dicendum, prodiret in medium, & aperiret quid illi videretur. Nam soluta sy- nodo, nullam illum veniam ab Imperatore*

consecuturum qui res constitutas oppu- gnaverit; sed jure damnandum, & urbe expellendum.

XIV. Sed quo proposito leges illae de confirmandis Conciliorum decretis ab Im- peratoribus ferrentur, Facundus Hermia- nensis in Africa Episcopus accuratè expref- sit. Florebat sub Iustiniano, à quo Trium Capitulum causam discuti argerrimè fe- rebat; ideoque multis verbis Principum audaciam exagitat, qui canonicas quaestio- nes ad suum judicium revocare tentant, eò- que ad exemplum Marciani Principis pro- vocat, de quo haec sunt ejus verba: *Sciens igitur ille modestissimus Princeps Ozie Regi non impune cessisse quia sacrificare presumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis Sacerdoti, multò magis sibi impune cedere non posse cognovit vel quae jam de fide Christianari- te fuerant constituta discutere, quod nullatenus licet, vel novos constituere canones, quod non- nisi multis & in unum congregatis primi ordi- nis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir tempe- rans, & suo contentus officio, ecclesiasticorum canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor. Hic est certus limes quem regiae au- ditoritati in his negotiis praefigere oportet, ne inconsulto trahamur ad eam adulationem, qua Principibus suis totius discipli- nae ecclesiasticae summam Graeci defere- bant. Haec sunt verba Demetrii Chomatia- ni Bulgariae Archiepiscopi in Responione prima ad Cabasilam: *Imperator, ut communis Ecclesiarum Episcopimonarcha existens, & dictus, synodalibus praestitit sententiis, & robur tribuit, ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vi- tae politicaeque eorum qui altari serviunt. hoc am- pliùs, & judicium Episcoporum & Clericorum, & vacantium Ecclesiarum electionibus. ο βασι- λους ηδ οια κωνος της οικουμένης επισημοι αρχης εαν η δυναστα βουληται, & συνοδικως η νόμος επι- σταται, & το κωσθη αυταις χαριζεται. οικουσια- τικας ταυτας συνταξις, η νομοθεται βίω η πολιτικα τα βήματα, η μετω και δυναεις επισκοπων, & κλη- ρικων, & ταυτα η χειροτονων υψοις οικουσιατη. Quae magna verba omnino aliena sunt à mente veterum, nisi intra fines patroci- nij ecclesiastici contineantur. Alia est ele- ctionum ratio, de quibus agere non est praesentis instituti. [Vide librum octavum.]**

C A P V T X I.

Synopsis.

I. Non solum in universum decreta Conciliorum Principes confirmant, sed etiam canones aliquos spe- cialibus legibus. Probatur exemplo Theodosij, qui ve- nuit Clericis consortia extraneorum mulierum. ex sen- L iij

Vide Libellum Marce edrini Barcinone.

Facund. Her- man. l. 12. c. 3.

Lib. 5. Iuris Grae- co-Rom.

Marginal notes in Greek script, partially illegible.

Marginal notes in Greek script, partially illegible.